



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 26. Dissidia circa Episcopatum Naumburgensem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

præcipue agit de tribus articulis, nimirum de Ecclesia, Sacrificio Missæ, & invocatione Sanctorum. Tertius denique Cochlæi liber erat versio cujusdam fragmenti ex Græco quodam commentario in Canonem Missæ circa Consecrationem.

§. XXVI.

Diffidia circa Episcopatum Naumburgensem.

Ineunte anno sequenti millesimo quingentesimo quadragesimo secundo a-cerrima exorta est contentio Catholicos inter & Protestantes circa Naumburgensem Episcopatum, qui tum per Præfulis sui obitum vacabat, atque in ejus locum a Canonicis cooptatus fuerat Julius Pflugius, qui in Ratisbonensibus Comitibus ex Catholicis Theologis unus ingentem sibi famam conciliabat libris suis in lucem editis, præcipue illo opere, quod contra Lutherum *de Institutione hominis Christiani* conscripsit: Cum vero Princeps ac Saxonix Elector Naumburgensibus Canonicis Episcopum subrogandi jus competere denegaret, ac contenderet, quod hæc urbs, utpote sita in Misniensi Saxonix Provincia suo imperio obnoxia esset, hinc ejecto Pflugio hanc Ecclesiam Nicolao Amstorfio, seu Amsfordio Lutheranae sectæ Ministro

Sæc. XVI.
A.C. 1542.

Steid. comm.
l. 14. p. 455.
Paul. Lango
de Episcop.
Neob.
Melchior A-
dam. in vita
Theol. Germ.

ac

Sæcul. XVI. ac Wittembergensi Theologo vindica-
A.C. 1542. vit, qui etiam mense Januario anno Chri-
 sti millesimo quingentesimo quadragesi-
 mo secundo a populo acceptatus, atque
 a Luthero in Episcopatus possessionem
 introductus fuit, & paulo post ob suam
 nominationem in lingua patria librum e-
 didit, in quo affirmabat, quod Pflugio
 tanquam sanæ doctrinæ hosti grex Do-
 mini minime committendus esset: cum
 igitur Pflugius sese tam inique repudia-
 tum cerneret, haud segnior plures etiam
 libellos, quos ad Imperii Ordines dire-
 xit, divulgavit, atque in iis juris sui æ-
 quitatem demonstrans de illata sibi in-
 juria questus est. Vicissim Saxonie
 Princeps Pflugio respondit, ac prolixo
 sermone ex pervetustis monumentis o-
 stendere nitebatur, quod hoc jus fami-
 liæ suæ competeret, inter plures vero
 rationes, propter quas Pflugium exclu-
 debat, hanc quoque potissimam allega-
 bat, dicens: *Pflugium ferre non possum*
Naumburgensem Episcopum, eoquod Augu-
stane Confessione palam adversetur.

§. XXVII.

Comitia a Cæsare Spiræ indicta.

Sleid. p. 456. Postquam Cæsar nuntium acceperat,
Cochl. p. 303. quod Ferdinandus ejus frater in
Belc. comm. Hungaria a Turcis cæsus fuisset, Impe-
l. 23. n. 7. 1549. rii Comitia hoc anno Spiræ in mense Ja-
 nuar-